D: Resenium tale quid etiam advenerandum D: Socerum tuum scripsisse. Mendacium esse non dubito. Quæso tamen rei veritatem, si potes, certo cum authentico signo ad me perscribas. Facies mihi rem gratissimam, Ecclesiæ utilem. Præceptum D. Socerum, D. D. Grynæum non libenter fatigo, occupatissimum alioqui in suâ secta. Facilè ejus consilio verum cognosces. Eundem ex me officiosissimè saluta velim. Mitto ad te schema secundæ visionis Apocalypseos, in quâ explicandâ rogatu Auditorum meorum nunc versor: utinam sat prosperè! Conor tamen quod dat Dominus. Nostra sunt loco solito. Orate pro nostro Josiâ nobiscum. Feliciter vale. Heidelbergæ 26 Januarij 1609.

93. Emandus Polanus D. Davidi Pareo S. P. D.

Literas, quas ad me nuper misisti, Reverende, et mihi plurimùm honorande frater, unà cum typo analytico aliquot capitum Apocalypseos accepi. Jesuitas, qui socij esse JESU maluntur, quàm servi: meliores scilicet et excellentiores Apostolo, qui non socium, sed servum Domini nostri JESU CHRISTI se esse gaudebat et profitebatur, à colloquio tecum inaudito Swalbachiano rubrito, scriptum calumnijs refertum sparsisse, quid mirum? Qui strenuam operam navant serpenti illi antiquo, qui Deum ipsum calumniari in Paradiso ausus est, et totos se se addixerunt Pseudoprophetæ illi, de quo Apocalyp. 19 et 20. rem leviculam ducunt de hominibus mentiri. Qui Jesum Christum in tot pijs acriter persequuntur

Ferro, flam-

ferro, flammâ, fune; parvi faciunt, quòd linguâ & calamo fides JESU CHRISTI servos fatigant. Quod scire avebas, ex soceri mei ad te epistolâ, quam his inclusi, cognosces. Non fuit receptum moribus nostris per Dei gratiam, ex quo salvifica lux Evangelij effulsit, ut ministri Ecclesiæ in hac urbe publicis in diversorijs potarent, & cum peregrinis hac iter facientibus de religione sererentur. Quod si colloquium de religione ab Antecessoribus nostris petitum fuisset, nec sine publico Inclyti nostri Senatûs consensu, nec in diversorio id institutum fuisset. Illi trò autem nostros Theologos colloquium cum Alphonso illoas petivisse, homines in functionum suarum laboribus occupatissimos, et à fragili falsæ gloriæ choragio alienos, mihi nequaquam sit verisimile. Proinde certum habeto, tam veram esse Alfonsi Salmeronis de Colloquio cum Theologis Basileensibus inito, deq; illorum deprecatione gloriationem, quàm vera est Mercurij Gallo-Belgici de Spectro anno 1591 Basileæ viso narratio. Sed persuasus sum reverendi soceri mei, qui anno 58. superioris seculi studiorum gratiâ in hac Academiâ versatus est, et tum ætate, tum memoriâ rerum gestarum alios superat, testificationem suo et Pastorum Ecclesiæ Basileensis nomine factam tuo postulato abundè satisfacturam. Typum tuum Analyticum perlibenter legi, totum opus cupidè perlecturus, ubi publicum feceris, DEO dante; quem ex animo supplex veneror, ut tuæ vitæ et valetudini et professioni benedicat, utq; imprimis serenissimum Iosiam nostrum, et prolem ejus illustrissimam clementer servet, et omnibus cumulet. Vale prosperrime et salve. Basileæ. Calendis Martij 1609.